

*Hug.* Non soleo precipitare sarcinam meam.

*Hen.* Non? Atqui nuper vidi te sex Carthusienses deiecisse in cœnum sic, ut pro candidis emergerent nigri: tu interim, quasi re bene gesta, ridebas.

*Hug.* Nec injuria; dormiebant omnes, ac multum ponderis addebant currui meo.

*Hen.* At mei senes egregie sublevarunt currum meum, per totum iter perpetuo garrientes. Nunquam vidi meliores.

*Hug.* Non soles tamen talibus delectari.

*Hen.* Sed hi seniculi boni sunt.

*Hug.* Qui scis?

*Hen.* Quia per eos ter bibi per viam cerevisiam insigniter bonam.

*Hug.* Ha ha hæ. Sic tibi boni sunt.

ΠΤΩΧΟΠΛΟΥΣΙΟΙ.

CONRADUS, BERNARDINUS,  
PASTOR, PANDOCHEUS,  
UXOR.

*Co.* **A**T qui pastorem decet \* hospitalitas.

*Pas.* Pastor sum ovium; non amo lupos.

*Co.* At non perinde fortassis odisti \* lupos. Sed quo tandem merito sic abhorres à nobis, ut ne recto quidem digneris? Neque enim te gravabimus cœna.

*Pas.* Dicam, quia si conspiceretis in ædibus meis \* gallinam aliquam, aut pullos gallinaceos, cras in concione traducerer apud populum. Hanc soletis referre gratiam communicati hospitii.

*Co.* Non omnes sumus istiusmodi.

*Pas.* Sitis cujusmodi voletis: ego vix sancto Petro fiderem. si tali cultu

T 7 veni-

Hospitalitas] Nam à pasiendo dicitur pastor, & à prabendo Græci parochus. Lupas] Focus est ex ambiguo: lupa uxor lupi, & lupa scorium.

Gallinam] Gallinam appellat concubinam; pullos, liberos.